



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 36. Erasmi Argentinensis Episcopi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

**Sæcul. XVI.** Ad hæc exstant etiam ista ingenii ejus  
A.C. 1568. monumenta I. libellus de Fastis, &  
 Romanorum triumphis II. Tractatus de  
 Sibillis. III. Commentarius de Repub-  
 lica Romana. IV. Alius de triumphis  
 V. Item alius de Fastis Consularibus  
 VI. Quatuor libri de Imperio Romano  
 Græco, & Latino. VII. Opus de an-  
 tiquis Christianorum ritibus sepeliendi  
 mortuos, & de eorum cæmeteriis  
 VIII. Tractatus de præcipuis Urbis Ro-  
 manæ Basilicis, quæ vocantur septem  
 Ecclesiæ. IX. Alius de consecratione  
 panis cerei, qui vocatur *Agnus Dei*, at-  
 que a quolibet Papa in primo Pontifi-  
 catus sui anno Dominica *Quasimodo* sa-  
 crari, & singulis septem annis renovari so-  
 let. Edidit adhuc plures alios tractatus.

## §. XXXVI.

*Erasmi Argentinenſis Episcopi obitus.*

*Thaan l. c.*  
*Sanmarth.*  
*Gall Christ.*  
*Guiliman*  
*de Episc.*  
*Argent.*

Hoc item anno obiit Erasmus Argen-  
 tinenſis Episcopus ex Comitum  
 Limpurgensium familia natus; porro  
 Limburgum est in Germania Circuli  
 Westphalici Toparchia, quæ ferme tota  
 in Sueviam procurrit. Hic erat Præ-  
 sul pietate, ac eruditione sua plurimum  
 commendandus, potissima vero laude  
 celebrandus ob ingenii sui aciem, ac  
 ingentem in literis proficiendi avidita-  
 tem, nam adhuc juvenis Tubingæ die  
 discipli-



Sæcul. XVI.  
A C. 1568.

sciplinis Mathematicis operam navabat, magisterio usus Joannis Stofleri, jurisprudentiæ vero præcepta hauserat a Conrado Braunio, & Joanne Marquardo, Parisiis autem a Joanne Sturmio, quem non ita pridem Argentinam accersens in eadem Urbe Collegii Rectorem nominabat. Postea Erasmus Anno Christi millesimo quingentesimo quadregesimo primo Argentinensis Episcopus, mortuo Guilielmo de Hornstein eligebatur, nullumque non movebat lapidem, ut hæreticos ad Ecclesiæ sinum lenitate, ac mansuetudine revocaret: interfuit quoque Tridentino Concilio: devixit autem die vigesima nona Novembris Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo octavo.

Hoc eodem anno Guilielmus Viola Nobilis, qui die decima octava Martii anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio in Parisiensi Episcopatu Eustachio Bellajo successerat, e vivis excessit, sepultusque fuit in Ecclesia sua Cathedrali,

§. XXXVII.

*Petrus Gondyus ad Parisiensem Episcopatum nominatus.*

Cum concordata Leonem X. inter, & Franciscum I. inita in Parisiensi Senatu nonni vi, ac pluribus Regis

U 2

man-